



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

III. Concessio civium pro episcopatu.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

FORMVLÆ LINDENBROGII

S I V E

Altera editio formularum Marculfi à Friderico
Lindenbrogio in publicum emissa.

INCIPIVNT EXEMPLARIA DE DIVERSIS
conditionibus, qualiter regales vel cartæ pagenses aut
fenicæ, quas hæc formula continet, scribantur.

De episcopatu.

I. **I**lle Rex viro apostolico illi Episcopo. Quamlibet nos &c. *ut supra pag. 378.*

Indiculus Regis ad Episcopum ut alium benedicat.

II. Domino sancto sede apostolicæ dignitatis colendo in Christo patri illi Episcopo ille Rex. Credimus jam &c. *ut supra pag. 379.*

Concessio civium pro episcopatu.

III. Suggestio piissimo ac præcellentissimo Domino ill. Regi &c. *ut supra pag. 379.*

Carta de episcopatu.

IV. Dum juxta Apostoli dictum omnis potestas sublimatur à Domino, & quatenus post Deum in regia manet potestate qualiter cuncta terrena debeant gubernari. Vnde oportet nos salubri consilio retractare ut illi in locis sanctorum instituantur custodes qui dignè ad ipsum officium gubernandum apparere noscuntur. Igitur dum & vestra & cleri vel pagensium civitatis illius adfuit petitio ut relicta urbe illa, quam prius regere & gubernare videbamini, in suprascripta urbe illa cathedram pontificalem suscipere deberetis, & dum vos apud animos nostros & actio commendat probata, & nobilitatis ordo sublimat, ac morum probitas vel mansuetudo & prudentiæ honestas exornat, cum consilio & voluntate Pontificum procerumque nostrorum, juxta voluntatem & consensum cleri & plebium ipsius civitatis, in supra-

dicta urbe illa pontificalem in Dei nomine vobis commissimus dignitatem. Propterea per præsentem præceptum decernimus ac jubemus ut supradicta urbs vel res Ecclesiæ ipsius & clerus sub vestro arbitrio & gubernatione consistant, & erga regimen nostrum semper fidem inlibatam custodire debeatis, & juxta canonicam institutionem plebem vobis commissam assiduis prædicationum sermonibus excolere, & non minus pietate quam severitate constringere studeatis, & curam pauperum vel necessitatem patientium cum ingenti cura & dilectione procuretis, ut adquisita multiplicataque gregis vestri salute, ad ovile dominicum nullis maculis fordidatum valeatis præsentare, quatenus dum Ecclesiam vobis dispensatione divina commissam strenuè regere atque gubernare videamini, vobis apud æternum retributorem mercedum suffragia largiantur, & vos immensum Christum pro nostrorum mole peccaminum assidue exorare debeatis.

Carta de magna re, qui vult xenodochium aut monasterium construere.

V. Domino verè sancto &c. *ut supra pag. 399.*

Emunitas Regia.

VI. Maximum regni nostri augere credimus munimentum si beneficia opportuna locis Ecclesiarum benevola deliberatione concedimus, ac Domino protegente stabiliter perdurare conscribimus. Noverit igitur sollertia vestra nos ad petitionem apostolici viri Domni ill. illius urbis